



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum sit magis meritorium facere aliquid ex voto, quàm sine voto? 6

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

tum est quædam promissio Deo facta, & quod promissio nihil est aliud quam ordinatio quædam eius quod promittitur, in eum cui promittitur. Vnde votum est ordinatio quædam eorum quæ quis vouet in diuinum cultum seu obsequium. Et sic patet quod vouere proprie est actus patriæ seu religionis.

Ad primum ergo dicendum, quod illud quod cadit sub voto, quandoque quidem est actus alterius virtutis, sicut ieiunare, & continentiam seruare; quandoque verò est actus religionis, sicut sacrificium offerre vel orare. Vtrorumque tamen promissio Deo facta ad religionem pertinet, ratione iam * dicta. Vnde patet quod votorum quoddam pertinet ad religionem, ratione solius promissionis Deo factæ, quæ est essentia voti, quandoque etiam ratione rei promissæ, quæ est voti materia.

Ad secundum dicendum, quod ille qui promittit, in quantum se obligat ad dandum, iam quodam modo datur: sicut dicitur fieri aliquid cum sit causa eius, quia effectus virtute continetur in causa. Et inde est quod non solum danti, sed etiã promittenti gratiæ aguntur.

Ad tertium dicendum, quod votum soli Deo fit: sed promissio etiam potest fieri homini. Et ipsa promissio boni quæ fit homini, potest cadere sub voto, in quantum est quoddam opus virtuosum. Et per hunc modum intelligendum est votum quo quis vouet aliquid sanctis vel prælatis: ut ipsa promissio facta sanctis vel prælatis cadat sub voto materialiter, in quantum scilicet homo vouet Deo se impleturum quod sanctis vel prælatis promittit.

ARTIC. VI.

Vtrum magis sit laudabile, & meritorium facere aliquid ex voto, quam sine voto?

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod magis sit laudabile & meritorium facere aliquid sine voto, quam cū voto. Dicit enim * Prosper in secundo de vita contemplatiua, Sic abstinere, vel ieiunare debemus, ut non nos necessitati ieiunandi subdamus; ne iam non de-

in ca. ar.

475
inf 9 189
art. 2. co.
Et 3 qd.
28. ar. 4.
cor. 12 3.
contra c.
118 et o-
pus. 17. c.
12 et op.
18. c. 13.
** 1 b. 2. c.*
24 i pri.
& est o.
vlt libri.

voti, sed inuiti rem voluntariam faciamus. Sed ille qui vouet ieiunium, subdit se necessitati ieiunandi. Ergo melius esset si ieiunaret sine voto.

¶ 2 Præterea, Apostolus dicit 2. Cor. 9. Vnusquisque prout destinauit in corde suo non ex tristitia aut ex necessitate: hilarem enim datorē diligit Deus. Sed quidā ea que vouent, ex tristitia faciūt. Et hoc vñ procedere ex necessitate quam votum imponit: quia necessitas contristās est, vt dicitur 5. Metaph. Ergo melius est aliquid facere sine voto, quam cum voto.

¶ 1. 5. text.
6. 3.

ar. 4. hu-
sus 9.

¶ 3 Præterea, votum necessarium est ad hoc quod firmetur voluntas hominis ad rem quam vouet, vt supra * habitum est. Sed non potest magis firmari voluntas ad aliquid faciendum, quam cum actu facit illud. Ergo non melius est facere aliquid cum voto, quam sine voto.

SED contra est, quod super illud Psalm. 75. Vouete & reddite, dicit gloss. Vouere voluntati consultitur, sed consilium non est nisi de meliori bono. Ergo melius est facere aliquod melius opus ex voto, quam sine voto: quia qui facit sine voto, implet tantum vnum consilium, scilicet de faciendo; qui autem facit cum voto, implet duo consilia, scilicet & vouendo & faciendo.

RESPONDEO dicendum, quod triplici ratione facere idem opus cum voto, est melius & magis meritorium, quam facere sine voto. Primò quidem, quia vouere, sicut dictum est, est actus iustitiae, quæ est præcipua inter virtutes morales. Nobilioris autem virtutis est opus melius & magis meritorium. Vnde actus inferioris virtutis est melior, & magis meritorius ex hoc quod imperatur a superiori virtute, cuius actus fit per imperium: sicut actus fidei vel spei melior est, si imperetur a charitate. Et ideo actus aliarum virtutum moralium, puta ieiunare, quod est actus abstinencie, & continere, quod est actus castitatis, sunt meliora & magis meritoria, si fiant ex voto: quia sic iam pertinent ad diuinum cultum, quasi quedam Dei

Dei sacrificia. Vnde * Aug. dicit in lib. de virginitate, quod neque ipsa virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dedicata est, honoratur: quam fouet, & conseruat continentia pietatis. Secundo, quia ille qui vouet aliquid, & facit, plus se Deo subijcit, quam ille qui solum facit. Subijcit enim se Deo non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de cetero non potest aliud facere: sicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum, vt dicit * Anselmus in libro de similitudinibus. Et inde est quod etiam promittentibus gratia aguntur, vt * dictum est. Tertio, quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bonum. Facere autem aliquid ex voluntate firmata in bonum, pertinet ad perfectionem virtutis, vt patet per * Philosoph. in 2. Ethico. Sicut etiam peccare mente obstinata, aggrauat peccatum, & dicitur peccatum in Spiritum sanctum, vt supra * dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod auctoritas illa est intelligenda de necessitate coactionis, que inuoluntarium causat, & deuotionem excludit. Vnde signanter dicit, Ne non iam deuoti, sed inuiti rem voluntaria faciamus. Necessitas autem voti per immobilitatem fit voluntatis: vnde & voluntatem confirmat, & deuotionem auget: & ideo ratio non sequitur.

Ad secundum dicendum, quod necessitas coactionis, in quantum est contraria voluntati, tristitiam causat secundum * Philof. Necessitas autem voti in his qui sunt bene dispositi, in quantum voluntatem confirmat, non causat tristitiam, sed gaudium. Vnde ¶ Aug. dicit in epist. ad Armentarium, & Paulinam, Non te vouisse poeniteat, immo gaude iam tibi sic non licere, quod cum detrimento licuisset. Si tamen ipsum epus secundum se consideratum, triste & inuoluntarium redderet: post votum, dum tamen remaneat voluntas voti implendi, adhuc est magis meritorium, quam si fieret sine voto: quia impletio voti est actus religionis, que est prior vir. us, quam abstinentia, cuius actus est ieiunare

Sec Sec. Vol. ij.

A a

Ad

e 8. circa prin 1 6

Cap. 8. b

* ar. pres. ad 2.

e. 4. so. 5.

q. 14. a. 1.

loc. cit. in arg.

¶ Epi. 45. no remotione a fine, so. 2.

Ad tertium dicendum, quod ille qui facit aliquid sine voto, habet immobilem voluntatem respectu illius operis singularis quod facit, & tunc quando facit. Non autem manet voluntas eius omnino firmata in futurum, sicut vouentis qui suam voluntatem obligavit ad aliquid faciendum, & antequam faceret illud singulare opus, & fortasse ad pluries faciendum.

ARTIC. VII.

Verum votum solemnizetur per susceptionem sacri ordinis, & per professionem ad certam regulam?

476

*Inf. ar. 9.
co. Et 4.
di. 38. q.
1. ar. 2. q.
3. Et quo.
3. ar. 18.
corp. Et
quod. 3. a.
10. cor.
* 2. 1. hu.
ius q.*

AD septimum sic proceditur. Videtur, quod votum non solemnizetur per susceptionem sacri ordinis, & per professionem ad certam regulam. Votum enim, ut dictum est, est promissio Deo facta. Ea vero quæ exterius aguntur ad solemnitatem pertinentia, non videntur ordinari ad Deum, sed ad homines. Ergo per accidens se habent ad votum. Non ergo solemnitas talis est propria conditio voti.

¶ 2 Præterea, illud quod pertinet ad conditionem alicuius rei, videtur posse competere omnibus illis in quibus res illa inuenitur. Sed multa possunt sub voto cadere, quæ non pertinent neque ad sacrum ordinem; neque pertinent ad aliquam certam regulam: sicut cum quis vouet peregrinationem, aut aliquid huiusmodi. Ergo solemnitas quæ fit in susceptione sacri ordinis, vel in professione certæ regulæ, non pertinet ad conditionem voti.

¶ 3 Præterea, votum solemne idem videtur esse quod votum publicum. Sed multa alia vota possunt fieri in publico, quam votum quod emittitur in susceptione sacri ordinis, vel professione certæ regulæ: & huiusmodi etiam vota possunt fieri in occulto. Ergo non solum huiusmodi vota sunt solemnia.

SED contra est, quod solum huiusmodi vota impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt iam contractum. Quod est effectus voti solemnitis, ut infra * dicitur in tertia huius operis parte.

RESPONDEO dicendum, quod unicuique rei solem-